

CONGEMINATIO
SEV
REPERCVSSVS FLAMMARVM
IN ADVENTV
S. SPIRITVS
EMICANTIVM
ORATIO
HABITA
IN SACELLO PONTIFICVM
QVIRINALI
AD SS. D. N.
INNOCENTIVM X.
PONT. OPT. MAX.

A IACOBO PELLIO FLORENTINO
Sem. Rom. Conuic.

ROMÆ, Typis Hæredum Corbelletti. MDCLII.

Superiorum Permissu.

EMINENTIS. PRINCIPI

FABIO CHISIO

S. R. E.

CARD. AMPLISSIMO

IACOBVS PELLIVS FELICIT.

MEA hæc oratio, PRINCEPS EMINENTISSIME, quæ paulò ante pronunciata in Sacello Pontificum, more verborum, liberè in auras abierat, nullo vnquam tempore reditura; nunc tanquam, aut criminis, aut voti rea, prælo repente ſiſtitur, ac reuocatur ad Te. An vt accuſationi reſpondeat, cauſamque dicat; ſi fortè argumentum Neſtore dignum, aut Tullio, minus aptè tractarit? an vero, vt à tenebris, vbi nata eſt, pauliſper abſtracta, ſub luce purpuræ Tuæ legi publicè queat; atq. vt auribus modò huma-

niter plaudentium commiſſa eſt; ità iam fideliori oculorum iudicio ſubijciatur? Certè de Speculis illa loquitur, quæ Solis æterni radios, hoc eſt, Spiritus Sancti virtutem, acceperunt ex alto in igneis linguis, qualia fuerunt Apoſtolica corda. Ideo redire nunc opportunè videtur ad vnum Te, qui nimirum ſplendorem accipis à Solè terrarum, & magnorum conſcius arcanorum, veluti ſpeculum es Romani Pontificis; diuinæq. præterea expreſſione Columbæ laudaris, quòd in Germania diu fueris, iuſtitiæ & integritatis exemplar, ad Populos, Religionis ac Fidei vinculo, Amoriſq. fœdere colligandos. Patiaris igitur partum hunc meum, qualécumq. adoleſcere, ac viuere in obſequijs Tuis, quorum beneficio ſperare poteſt, ſe nunquam receſſurum à contemplatione laudati Solis, quem adeò expreſsè moribus & purpura præfers. Vale.

ORA-

ORATIO.

CONCEPTA felicites in corde Christi de Cruce pendentis Ecclesia B. P. post inflictum à milite lanceę vulnus, eductam se cruento de latere, natamque Regiæ instar Sponsæ, fuisse cognoscit. At clarissimum illi solem, æterni luminis auspicem, vitæq. authorem immortalis, intimo Diuinitatis è sinu protulit hodiernus hic dies, quo Diuinus Amor, innocentis opifex lætitiæ, salutis elargitor, veritatis Magister, Deiq. Spiritus, igne suo Apostolicum Senatum impleuit. Edita sanè, non commentitio Iouis è capite, sed è pectore veri Numinis, altera Sapientiæ Præses, Gigantum domitrix, cælum ipsum, obsidione prementium; expugnatrix fortissima Tartarorum; non hasta, vel ægide, sed choris Virtutum, tamquam castris, formidanda; vt cælestem ordiatur vitam, vno spiritum iam ducit è cælo, animamque purissimam, spiraculum immortalitatis suum demisit in cor. Ecce, Christiana plenum sapientia, & fortitudine, Sponsæ castissimæ pectus, Solem exhibet nouum, in quo creatrix rerum Columba, non aquis, sed ignibus fertur, atque inde ad volatum explicat, non

Clem. V. in Clementina, De summa Trinit. & Fide Cathol.

Actor. 2.

Cant. 7.

Gen. 1.

tam

tam pennas, quam linguas, in radiorum iacula scintillantes; nec tam candorem ostentat, quam ardorem euentilat, vndique spargentem incendia; non denique flebiliter gemit, sed salubriter tonat. Hæc flamma, hoc tonitru coruscantis Auiculæ, paratum in Hierosolymæ conclaui Patrum consessum afflauit; ideoque nascentis illum Ecclesiæ fætum, vel in ortu maturum, non Regibus constare dixerim, vt Cyneas de Romano Senatu, splendidè, magnificèque iactabat; non esse tribunal seueritatis, quam in Areopago suo Athenæ suspexerunt; non attritis, lacerisq. palliolis, humanæ sapientiæ velificari, quæ laus fuit olim Philosophorum in Græcia; sed id palam, apertèq. pronuncio; reddita circumquaque diuini Solis imagine, tot ibi specula lucere, quot pectora: vbi enim in Apostolicum cætum ex alto Virtus illapsa, sanctum eò spiritum duxit, ad fouenda semina progerminantis Ecclesiæ, atque in argumentum demissi cælitus Hospitis, Apostolorum capitibus ignitæ linguæ, & mentibus flammæ insederunt; tunc enimuerò flagrantia Procerum corda, cauis similia speculis, conceptos ad inusitatum solem ardores, congeminasse illicò visa sunt, atque ex repercussu quodam, per vocalem oris sonum, in omnem latè partem terrarum, circumtulisse.

Plutarchus in Pyrrho. Lucianus in Sectis. Diogenes Laert.

Inter celeberrima artis inuenta, quibus olim in Syracusano portu, Romana diu classis, ab Archimede, Siciliæ Dædalo, vel est elusa, vel repressa, maximè commendat artificem, in vitro tonantem, machina illa specularis, & caua, quæ ad fœta militibus, armisque nauigia immissum, non nisi per solis radios incendium excitauit. Tunc enim munitissimæ vrbis oppugnator Marcellus, planè se destitutum ingemuit, cum faces à lucidissimo Planetarum deriuatas, coëuntibus in vnum solaribus radijs, speculum Archimedæum altè conciperet, ac fortius iacularetur; vnde naues Oceani domitrices, multorum annorum opus, armis & armatis instru-

Plutarchus in Marcello.

ſtructas, delectam bello iuuentutem, ingentes theſauros, & bellicam ſupellectilem vniuerſam, eòuſque feliciter per mare tranſmiſſam, vnius ingenium hominis, verè centimani, non ferro, ſed vitro perderet, atq. in fauillam & cineres diſsiparet. Verùm quò noſtra temerè vagatur oratio? cur lingua vaniſsimis humanæ hiſtoriæ monumentis adhæſit? cur vox in ſordido puluere, profanæ veſtigia antiquitatis requirit? prodigium non abſimile è ſacris Eccleſiæ promptuarijs, agente potiſſimum Omnipotentis manu, hodie prodit, quod ſanè prodigium eò præſtantius cœteris eſt, quò magis terræ cælum, atque humanis diuina antecellunt: nam Dei, cuncta mouentis, digitus ille ter Maximus, fons bonitatis, rectiq. conſilij Spiritus, ſaluberrimæ Sapientiæ Magiſter ſanctiſſimus, Deus ex Deo afflatus; ex adoranda diuinarum Triade Perſonarum, à Patre & Filio, non natura, ſed ſingulari notione diſtinctus, quin ambobus intermedius, & Amor expiratus vtriuſque de corde; ille inquam animorum Auguſtiſſimus hoſpes; omnium author, ac diſpenſator bonorum, in Sole Pſal. 18.
poſuit tabernaculum ſuum, ipſumq. Eccleſiæ cor, hodierna ſibi luce quæſiuit ad ſedem. At huic eſt expoſita lumini Procerum acies, quos ſuorum itinerum ſocios, noſtræ Vindex libertatis Chriſtus, aſſumpſit, nec ſanctos modò Sacerdotes, ſed glorioſos terræ Principes deſtinauit. An quis neget, venerandam Heroum coronam, decore Numinis, & maieſtate pleniſſimam; eſſe ſpeculum alterum ſine macula; expreſſumq. illius candorem bonitatis, quam Diuinus Spiritus ſingulis com- Sap. 7.
municauit, ac deriuauit ex ſeſe? Dum enim ſacræ Sionis ab aula, deuotus Numini, ſupplicantium cætus, oculos in cælū vnanimiter tollit, dū vota pariter congeminat, atque ad Solem ſuum corda conuertit; haurit ab eo viuidas intrinſecus flammas; ignem concipit ſapientiæ pariter, ac ſanctitatis magiſtrum; denique vim acquirit vrēdi, vbi virtute induitur ac facultate docēdi.

In-

Interim cauete vobis monstra terrarum, Erebi nequissima pignora, genimina viperarum cauete, in vos accenditur flamma, ad vestrum exitium multiplici de speculo redditur ignis, metuenda excitaturus incendia, vbicumque in odium veritatis, & Fidei, aut grassatur impietas, aut delirat amentia. Nil superstitioni profuit Ethnicorum, aut mutis Furiarum simulacris templa fundasse, aut ad insanos Deorum exitialium cultus, aras imbuisse sanguine sordentium victimarum; aut rebus inanimis diuinos honores, per indebita thura, per inanes preces, per infanda sacra, per ritus execrandos affectasse: quando illata per omnem terram Apostolicis expeditionibus face, ac si dirus, regnorum exitio, cometes exarsisset, aut Regum turres fulmen illapsum tetigisset, adoratis vbique Deorum insignibus, & vniuerso Capitolini Iouis imperio confestim accensus est rogus. Lugeat ergò addicta flammis portenta sua, sic filia tenebrarum, vt mater superstitionis Aegyptus: suum Delos Apollinem cum intonsa cæsarie, & cum ementiente cithara doleat conflagrasse. Veneris & Mineruæ cineres, Cyprus videat, Athenæ videant, ventorum esse ludibria. Agnoscat Samus, ex Iunone Regina nil superesse præter fauillam, & fumum. Martem Thracia, Persis Mithram, Bacchum India non alibi, quam inter flammarum globos requirat. Fateatur denique Roma, Iouem Deorum regno nobilem, & fulmine metuendum, non potuisse fulminantis è cœlo Spiritus cladi subduci, aut ab Apostolicis ignibus intactum seruare diadema, vel sceptrum. Non satis fuit, Romam superstitionis Magistrā, à Nerone succēdi, vstore suæ patriæ trabeato; nam multò, quam ille, felicius, clariusq. Romanæ magnificentiæ Petrus subdidit facem, cum afflatus igne diuino, Vaticani fastigium occupauit; in eoq. sedem fixit, vnde flammas olim acceptas assiduè spargeret, & iacularetur in perduelles, sua primum, & deinceps successorum manu; in quibus

Suetonius in Nero.

patus tot iam sęculis perseuerat.

Hinc altera consurgit sacrorum ignium congeminatio, ac veluti repercussus radiorum, quos Romani Pontificis Deo proxima, cæloq. digna Maiestas ab Ecclesiæ Sole, siue à Spiritu sancto suscepit, exprimendos in se, & mox in hostium perniciem reciprocandos. Timeat ante omnes exitium ab eo Speculo, diuinæ propemodum efficacitatis, monstrum Hydra Lernæa fæcundius, Hæresis mentium corruptarum; cuius vano impioq. conatu, moles Babylone nocentior excitata, cælo ipsi bellum indicit, Gigantesque suos, exoticum portenti genus, animat simul & armat, vt æternæ Sapientiæ regnum expugnet, vt irruat in solium Diuinitatis, vtque vnam ac simplicem veritatis faciem, reddat cum veteri Proteo multiformem, inductis vbique non tam linguarum, quam mentium importunè dissidijs. Agite perduellium calami, quos tanquam gladios acuit, regitque perfidia, ducite ferales notas, & chartis citò perituris venena committite; numerosis abdite voluminibus insana mendacia; somnia pro vigilijs, amentiam pro ratione, pro doctrina fallacias, pro virtutibus vitia, pro nectare virus iactate. Adest vltrix de Vaticano flamma, quæ folia non Sibyllæ, sed Furiarum characteribus exarata, Vesuuio vel Aetna minaccior, prorsus absumat, vt suis absconditæ cineribus iaceant, Diræ in æternum Verbum Arij, impia Macedonij in Spiritum Sanctum effata, Nestoriani in Virginem Matrem latratus, Pelagij in Dei gratiam captiosa commenta, atque in diuina mysteria Caluini & Lutheri persònata bacchatio.

Verum auertere oculos tandem placet ab hoc incendio, ex quo nil superesse potest, nisi pessimus odor, & importunior fumus. quin imò aciem mentis, reducem conuertamus ad Solem, quem in adueniente desuper Spiritu sibi vni potissimum lucere sentit Ecclesia

præ-

[illegible] ...gio permutantem in linguas, [illegible] candoris niues accendentem in flammas; vt quisque tum eorum ignium Speculum ſit, nullius vmbra labis obſcurum; tum in ſe ardorem amando concipiat, augeatque; vt denique nouum inde cor ſibi naſci ſentiens, nouamq. linguam, voce promat incendium cordis, ad perniciem vitiorum, atq. ad incrementa virtutum. Dixi.

FINIS.